Sit æquatio $\dot{x} \times \overline{ax^m + bx^n}|^p = \frac{d\dot{y}y^{n-1}}{\sqrt{e+fy^n}}$. Et fluens cujus fluxio eſt $\dot{x} \times \overline{ax^m + bx^n}|^p$ erit ut area Curvæ cujus Abſciſſa eſt x & Ordinata eſt $\overline{ax^m + bx^n}|^p$. Item fluens cujus fluxio eſt $\frac{d\dot{y}y^{n-1}}{\sqrt{e+fy^n}}$ erit ut area Curvæ cujus Abſciſſa eſt y & Ordinata $\frac{d\dot{y}y^{n-1}}{\sqrt{e+fy^n}}$, id eſt (per Caſum 1. Formæ quartæ Tab. I.) ut area $\frac{2d}{nf}\sqrt{e+fy^n}$. Pone ergo $\frac{2d}{nf}\sqrt{e+fy^n}$ æqualem areæ Curvæ cujus Abſciſſa eſt x & Ordinata $\overline{ax^m + bx^n}|^p$ & habebitur fluens y.

Et nota quod fluens omnis quæ ex fluxione prima colligitur augeri poteſt vel minui quantitate quavis non fluente. Quæ ex fluxione ſecunda colligitur augeri poteſt vel minui quantitate quavis cujus fluxio ſecunda nulla eſt. Quæ ex fluxione tertia colligitur augeri poteſt vel minui quantitate quavis cujus fluxio tertia nulla eſt. Et ſic deinceps in infinitum.

Poſtquam vero fluentes ex fluxionibus collectæ ſunt, ſi de veritate Concluſionis dubitatur, fluxiones fluentium inventarum viciſſim colligendæ ſunt & cum fluxionibus ſub initio propoſitis comparandæ. Nam ſi prodeunt æquales Concluſio recte ſe habet: